divisiones et alia egregia nobis subministrat. nonnisi in Medicina, in Medicina, inquam, quae adversus illos generis humani tyrannos instructus remediorum educit phalanges, multisque modis eosdem fundit atque prosternit. O vitae Medicina dux, o bonorum omnium parens, morborum expultrix, corporum liberatrix; quid sine te non modo nos sed omnino vita hominum esse potuisset? Tu in corpore humano calorem nativum multo partium attritu exsuscitas, carnes et solida membra firmas, spiritus animales exagitas. Tu appetitionem ciborum excitas, concoctionem omnem, nutritionem et auctionem mirifice adiuvas. Tu corporis facultatesque nostras ab omni molestiarum iniuria vindicas. Tu hominibus, qui diversis morborum afflictionibus detenti sunt, salutari potione, aut alio remedio subvenis, doloribusque eorum leniter mederis. Tu saluti civium, civitatis incolumitati, utilitati reipublicae adiuvas. Tu sanitatem, qua nihil nobis iucundius ac gratius, restituis, à morte, quae omnibus acerbissima videtur, liberas, vitam quietam et beatam, quam omnes expetunt, conservas. Tibi denique quod stamus, quod incedimus, quod vivimus bene, et